



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hunoldi Plettenbergi[i] E Societate Jesu Introductio Ad Jus Canonicum

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1692

Caput XVI. An legitimum Concilium generale errare possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62983)

4. & 5. Nec tunc Concilium exercet auctoritatem in Papam, sed in eum, quem credit non esse Papam, nam dubius Papa de quo non constat, pro nullo habetur, cum in jure sint paria: Non esse, & non apparere. *l. Duo Titii 20. ff. de Test. tut. l. In lege 77. ff. de contrab. empt. l. omnia 32. §. Species ff. de Legat. 2.*

Tertius: Si Pontifex invalidè sit electus, & intrusus, tunc enim sicuti non est verus Papa, ita nec privilegiis gaudet Papalibus subjacetque Concilio. *Conc. Constantien. Sess. 39.* Ex his vero concluditur, verum Pontificem semper esse supra Concilium nec dari casum, in quo verus Papa subdatur Concilio.

C A P U T X V I.

An legitimum Concilium generale errare possit.

Concilium cui Pontifex praesidet, vel quod ab eo confirmatur, errare non potest; Secus si nec praesideat nec approbet. Quid si Legati in Concilio procedant sine instructione, vel definiatur aliquid contra instructionem Papae? Conciliorum auctoritas minor est, quam sacra Scriptura.

I.

Concilium generale cui præsidet Pontifex per se vel Legatos suos sequentes instructionem Pontificis, vel quod Pontifex confirmavit errare non potest, nec in fide nec moribus. Primo quia regitur in definiendo à Spiritu S. ut patet ex Concilio Apostolorum Act. 15. *Visum est Spiritui S. & nobis*, quod norma est cæterorum Conciliorum, quæ ob exorientes plures & novas hæreses, non minus quam primum Concilium indigent assistentia Spiritus sancti. Secundo Joan. 16 dicit Christus Apostolis: *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*, qui mansurus sit cum eis & Successoribus in æternum c. 14. Non docet vero Episcopos seorsim existentes omnem veritatem, ergo in Concilio cum capite suo Congregatos. Tertio Concilia generalia sic congregata repræsentant totam Ecclesiam, & in iis reperitur consensus totius Ecclesiæ, nimirum capitis & membrorum; Tota verò Ecclesia errare nequit in credendo vel docendo, quia *porta inferi, non prævalerunt adversus eam. Matt. 16.* Et Ecclesia DEI vivi est columna & firmamentum veritatis. I. *Tim. 3.* Quarto, quia regitur vel confirmatur

matur à Papa, qui errare non potest.

Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.

Luc. 22. Quinto sic statuunt Concilia Ephesinum circa finem & Chalcedonense *Act. 5. Can. ult.* præter quamplurimos SS. Patres apud Bellarm. *de Conc. l. 2. c. 3.* & lege sanxit Martianus, ne semel definita in Conciliis generalibus retractentur. *l. Nemo c. de Sum. Trin. & fide Cath.*

Nec dicas. 1. Instructionem Pontificis quam sequuntur Legati non esse sententiam definitivam Sedis Apostolicæ; Nam quando Patres consentiunt sententiæ Pontificis, & formatur nomine Pontificis à Legatis Decretum, tunc incipit esse sententia definitiva & ultima, quam Papa amplius retractare non potest, cum sic certo intelligat sententiam suam esse à DEO, ut testatur S. Leo *in Epist. 63. ad Theodoret.* Bellarm. *de Conc. l. 2. c. II.*

Nec dicas 2. Si Pontifex ipse non interfuit Concilio, petitur confirmatio ab eo. Ergo sine illâ Decreta non fuerunt planè certa & firma; Nam aliquando præter Decreta de fide, de quibus data fuit instructio, statuuntur quædam sine expressa Pontificis sententia, & illorum confirmatio petitur, ut in Concilio Chalcedonensi. Deinde petitur & datur confirmatio, ut omnibus certius constet
acta

acta à Legatis verè ex mandato Pontificis facta esse, quia aliqui de hoc dubitare possent, quemadmodum nonnulli dubitarunt in dicto Conc. Chalced. alias non fuisset opus confirmatione, prout ipse Leo Pontifex indicat *in Epist. 61. ad Conc. Chalced.* ideoque ante confirmationem Papæ statim fit executio, deponuntur, damnantur &c. refractarii & hæretici ut patet in Conciliis Nicæno, Ephesino & Chalcedonensi.

2. Concilium generale, cui nec Pontifex per se vel Legatos suos præsidet, nec confirmationem impertitur, vel quod repugnantibus Legatis Apostolicis quipiam definit, errare potest, & plura de facto errarunt, ut Antiochenum A. 340. damnando Athanasium & proclamando hæresin Arianam; Mediolanense plusquam 300. Episcoporum tempore Constantis declinando ad Arianismum; Ariminense 600. Episcoporum oppugnando Filii consubstantialitatem; Ephesinum secundum, quod repugnantibus Legatis confirmavit hæresin Eutychetis. Aliud sub Constantino Copronymo abolendo Christi & Sanctorum imagines. Pisanum contra Julium II. Constantiense quo ad aliquam ejus partem, & Basiliense deponendo Eugenium IV. & statu-

tuen-

tuendo Concilium esse supra Papam. Nec mirum, quia Concilia robur suum acquirere debent à Pontificis auctoritate: *Omnia Concilia per Ecclesie Romanae auctoritatem, & facta sunt & robur acceperunt*, inquit Paschalis de Elect. c. Significasti, & Conciliorum auctoritas dependet ab auctoritate Papæ tanquam à capite.

3. Concilium generale cui Legati Pontificii intersunt, vel definit aliud cum Legatis contra instructionem Pontificis agentibus, vel cum Legatis qui particularem instructionem non habent; Si primum errare utique potest, quemadmodum erravit Constantinopolitanum tempore Nicolai I. cum Legati contra instructionem Papæ egerunt. *Epist. Nicol. ad Patriarch. & Episc. Orient. Zanoras in vita Michael. Imp.* Ratio est, quia sic pugnant cum suo capite, dum decernunt aliquid cum Legatis contra voluntatem Pontificis agentibus; Neque tunc agunt ut Legati, sed ut private personæ; Et contestatur disertè S. Leo in *Epist. 4. ad Pulcheriam*, & Agatho in *Epist. ad Imp.* se non dare auctoritatem Legatis, nisi agant secundum sibi traditas regulas.

Si autem Concilium definiat aliquid cum

cum

cum Legatis certam instructionem non habentibus, probabilius est errare quoque posse, nec ejus definitionem fidem facere ante confirmationem Pontificis, adeoque nec esse regulam fidei, quia Concilium tale repræsentat solum imperfecte Ecclesiam, cum non repræsentet absolute auctoritatem Capitis; Legati enim in eo casu sunt tanquam Vicarii & Internunciis Pontificis, qui ad ipsum referant, & sententiam expectent eamque exequantur, adeoque non ita repræsentant ipsum Papam, ut quod ipsi faciunt absolute censeatur fecisse Papa, alias nulla postea requireretur Confirmatio *Bellar. l. 2. de Conc. c. 11.* Hinc est quod talis Concilii auctoritas non sit infallibilis & certa, sed sub opinione solum contrarium sentientium, neque habeat jurisdictionem ad obligandam Ecclesiam ante confirmationem Pontificis. Probabilissimum tamen censet Suárez *dist. 5. de fide. Sect. 7. n. 11.* non permissurum DEUM ut tale legitime procedendo erret.

Nec obstat quod Concilia dicant anathema contrarium sentientibus antequam confirmentur; Nam intelligunt solum anathema vim habiturum prius post confirmationem Papæ.

4. Licet vero tanta sit auctoritas Conciliorum in Ecclesia, ut vidimus, major tamen est sacrae Scripturae, de qua actum est cap. praecedente; *Primo* quia sacra Scriptura, est verbum DEI immediate revelatum, & dictante Spiritu S. exaratum 2. *Pet.* 1. 2. *Timot.* 3. Concilia vero declarant tantum quod sit verbum DEI, & quomodo intelligendum, atque ex eo per discursum deducunt Conclusiones. *Secundo* Scriptura etiam in particularibus, & unum tantum hominem spectantibus errare nequit; At Concilia in judiciis particularibus obnoxia sunt errori. *Tertio* in Scriptura non tantum sententiae, sed etiam singula verba ad fidem pertinent; At non in Conciliis. *Quarto* Scriptura non eget approbatione Papae, ut sit authentica, sed solum ut innotescat ejus auctoritas; Concilia vero etiam generalia hac egent, ut rata sint & obligare possint.

Nec obstat. 1. Quod S. Gregorius dicat *l.* 1. *Epist.* 24. Se venerari quatuor prima Concilia ut quatuor libros Evangeliorum. Nam *to Sicut* non significat ibi aequalitatem, sed similitudinem. Deinde non comparantur Concilia cum Scriptura in omnibus, sed in eorum certitudine

306 *Major auct. S. Script. quam Conc.*
dine tantum, quæ in Scripturis dicuntur
& in Conciliis definiuntur, quæ æque
sunt certa, quia utraque infallibilis sunt
veritatis.

Nec obstat. 2. Quod Gratianus refert.
Can. in Canonicis dist. 19. Epistolas Decre-
tales numerari ab Augustino inter Scrip-
turas sacras, & *Can. Decretales dist. 20.* dicit
Conciliorum Canones ejusdem esse aucto-
ritatis cum Epistolis Decretalibus, ergo
numerandi etiam erunt inter Scripturas
Canonicas. Nam in primis S. Augusti-
nus non dicit Epistolas decretales esse
Scripturam Canonicam, sed iudicium
de Scripturis sacris pertinere ad Eccle-
sias Apostolicas. Deinde Gratianus so-
lum dicere intendit, Decreta Pontificum
esse Scripturas sacras, ut distinguantur
à prophanis, & Canonicas, ut distin-
guantur à scriptis SS. Patrum, quæ non
sunt regulæ, nec ex se habent auctori-
tem obligandi, prout infra dicetur. *Cap.*
20. Vid. Bellarm l. 2. de Conc. c. 12.

C A P U T XVII.

Series & gesta Conciliorum
generalium, quæ partim appro-
bata, partim reprobata sunt.

*Duo fuere Concilia Sirmiensa, alterum
Catholicorum, alterum Arianorum.
Quini.*